

VTILO BOIORVM DVX.



**V**Tilo filius fuit Hugoberti ducis Boiariæ. Is optimæ indolis adolescens , in aula regis Francorum educatus est , ut militarem disciplinam disceret, atque uirtuti operam daret. Erat in eo loco Hyltruda , filia Caroli Martelli , ac soror Carolomanni & Pipini. eam cum Vtilo uehementer amaret, rapuit, & eam secum uxorem domum duxit, ex qua postea Thassilonem tertium filium procreauit. Cum itaque pater eius moreretur, ipse in Boiaria dux constitutus fuit. Eo tempore præfules & sacerdotes Boiariæ anilibus fabulis delectabantur, atque uarijs uitijs contaminati uiuebant. Itaque Vtilo Sanctum Bonifacium ad se uocat, atque ab eo impetrat, ut uera Christi doctrina in sua ditione renouaretur, atque malis præfulibus depositis, aliij in eorum locum substituerentur. In quo Viuilo pastor Bathauiensis sedulò suam operam Bonifacio præstítit. Postea cum Carolomanno contra Saxones profectus , uirtutis suæ documenta ædidit, atq; uictor domum rediit.